

Q. F. F. Q. S.  
DISSERTATIONIS

DE  
**REGIMINE**  
ET  
**CONSTITUTIONE**  
**REIPUBLICÆ LITTERARIÆ**

PARTIS SECUNDÆ  
PARTICULA POSTERIOR,

*Quam,*

*Suffrag. Ampl. FAC. PHIL. Reg. Acad. Aboëns.*  
*Publico examini subjiciunt*

**GABRIEL TIDGREN**  
&  
**CAROLUS CARP,**

Ostrobothnensis,

In Aud. Maj. die XXVII Novembr. Anni MDCCCLXXVI,

H. A. M. C.

---

*A B O ÄE*

Typis JOHANNIS CHRISTOPH. FRENCKELL,  
Reg. Acad. Typog.



## §. VII.

**Q**uam in priore partis hujus particula exorsi sumus, telam pertexuris examinanda nobis occurrit Quæstio, & per se gravis, & dissidentibus hominum judiciis vexata; an videlicet, orta veri cum utili & honesto iugna, errores salutares extirpari & veritates noxiæ patefieri par sit? Ipsam Religionem disquisitioni huic non subjacere ex antea dictis efficitur. Accedit quod, quamvis non negetur, interdum quoque Superstitiones id habere, ut civilem & temporariam commoident felicitatem, animos, quos incesserint, partim fiducia rerum gerendarum implendo, partim mansuetos formidine Divum legibus ac moderamini magistratum subjiciendo (*g*); sola tamen veritas genuinam pietatem, teste Apostolo ad omnia utilem, gignere possit (*b*). Neque sermo nobis nunc est de falsis persuasionibus, quæ cum unos homines ordinesque juvent, plurimis fraudi sunt & detimento, vel quibus nituntur qui aliis lædis sua querunt compendia. Quocirca nec excusatam volumus indignam & parasiticam eorum prudentiam, qui præjudiciis vulgo receptis ideo assentantur, ut populo hominibusve potentioribus placeant & rem suam faciant (*i*), vel saltē parcunt & tacendo subscribunt, ne molestiis & fastidiis, quæ opinionibus regnantibus opponere se ausos manere solent, adhærescant. Veritatis ad gratiam ineundam comparatae professio in vilissimi cuiusque sita est facultate; at cuius prolatæ mercedes erunt odia & jacturæ, illam, si de cetero publicæ rei utilis & dignitatî humanæ consentanea fuerit, propalam suscipere, id vero, qui ut rerum scientia, ita ani-

nimi magnitudine ceteris prætere & posterum sempiternumque tempus præcipue spectare debent, quos cum Juvenale oportet,

*libera posse*

*Verba animi proferre & vitam impendere vero,*  
 germanos litterarum atque sapientiae alumnos & decet & indicat. Ubi enim ab iis, quos maximos habere debuerat assertores & vindices, destituitur recta rerum ratio, ibi, ceu ipsa ægrotante medicina, de remedio malii tantum non est desperandum. At hoc tamen non excludit debitam in promulgandis novis doctrinis circumspectionem, ab inconsulto zelo & turpi ignavia æque distantem, & hoc magis necessariam, quo a sensibus popularibus longius abluserint dicenda, sine illa vix ac ne vix quidem audientiam sibi tactura, quam saepe, ejusdem licet commendatione usa, non solent apud multitudinem impetrare. His in antecessum sepositis, de ejusmodi queritur erroribns & ignorationibus, quæ vel toti generi humano (*l*), vel dumtaxat uni alicui reipublicæ, in quibus de jure aliarum perfecto nihil detrahitur, plus emolumenti, quam veritates & notitiae contra positæ attulerint; atque heic in negantem non concedere sententiam non possumus (*m*). Non enim ad intrinsecas solum veri & falsi, sed ad extrinsecas quoque rerum in vita communi consequentia regulas animalium advertendi necessitatem felicitatis publicæ ratio, supremæ proxima & conjunctissima lex, Eruditis imponebit. Adeo ut, existente inter veritatem & utilitatem humanam collisione, illius studium, quemadmodum commiserationis & grati animi, huic cedere & posthaberi debeat, prout & supra circa fines Status litterariorum innuimus. Finge v. g. probari posse tutius esse Imperantibus metui quam diligi, ut perhibebat Florentius

nus ille technarum politicarum Architectus, huic tamē assertioni, quippe securitati humanæ contrariæ, evincendæ haudquam licita adjungetur opera. Fac de virtute, ingenio & potentia Principis tui amplior quam verior obstet opinio, quominus bello iniquo ipsum opprimant vicini; num tu putas æquum tibi esse hujus falsitatem ostendere? Unde etjam ex duabus Historiæ legibus, nihil falsi dicere, tum nihil veri non dicere, licet in rebus cognitis, posteriorem perinde observari nec posse, nec debere, ac priorem, judicavit magni Vir nominis (n). An autem & quoysque connivendum sit in errore Theologico, fundamentum fidei intemeratum relinquente, qui paci in civitate conservandæ, vel faciliori doctrinæ Evangelicæ insinuationi apud extraneos forte inservierit, id, in graviore liberatione positum, ut heic in medio relinquimus; sic longe ab iis probandis absimus, qui religiosas quascumque, quantumvis doctas fraudes, qualium apud veteres qui per scripta supposititia & inferatas sacro codici falsarum lectionum formulas (o) rem Christianam juvare voluerunt, recentiori ævo industrii fabricatores fuere Jesuitæ, nedum privilegia immediatae inspiratio- nis Divinæ comminiscentes, pietati sic impia ratione succenturiatum eunt. Veritates simplici ignorantia obtentas, plusque obfuturas quam profuturas, cuiusmodi in disciplinis præcipue naturalibus & vita communis occurunt bene multæ, non fas esse detegere & in propatulum trahere, per se & dicta conspicuum est. In harum censum veniunt subtilium venenorum pyrophororumque, ceu Græci, quem vocant, ignis, indagations; venirent etiam, si fieri possent, artium volandi &, nisi valde fallimur, viliores materias in aurum argentumque parvo sumtu transmutandi inventiones, quarum usus tanti non esset, ut eo pensarentur abusus & incom-

incommoda, quibus ansam suppeditarent. Sunt etiam nonnulla, cum in Philosophia delicatiora & a gustu communi aliena, tum in argumentis Theologicis subtilius insolentiusque a quibusdam disputata, quæ quominus, integrum linguae eruditorum evoluta, promiscue omnibus committantur, ea obstat religio, quod fieri possit, ut ii, qui judicium ab ægra voluntate suspensum habent, nec mentem a sensibus sevocare sciunt, ac proinde habiles non sunt ad verum & bonum ab eo quod fecus est, in abstrusioribus præcipue rebus nexusque celantibus, discernendum, ejusmodi scitis, in se licet innocuis, abutantur, eaque ad vivendi licentiam & pietatis fastidium convertant. Quamvis etiam concederetur, dari quasdam doctrinas, neque illas commentitias aut nugatorias, quæ aut omnino, aut ex parte sine periculo in vulgus edi vix possent; non tamen hinc sequeretur non expedire, ut scientiæ populari tradantur sermone, neque opus est unum horum negare, ut alterum evincatur (*p.*). Fieri & potest, ut certo tempore locoque noxia sit quorundam inventorum vel dogmatum, quamquam in se utilium, & casuum expositio, in opportunius igitur tempus differenda. Sic doctrina de æqualitate hominum naturali & spirituali, populo in seditionem instincto & iugi civilis impatienti instillata, ipsis ad extrema quævis patranda facem subdere posset. Huc pertinent secretiora reipublicæ cujusdam artificia in perficiendis & ornandis operibus manuariis, luxui & commoditatí hominum solum interventibus, quæ cum exteris communicare in boni civis personam non certe cadit. Hinc quoque eorum, qui Ephemerides politicas condunt, ipsis bene notum munus est rerum gestarum veritatem interdum premere & dissimulare. In primis vero, cum ad civitatem feliciter gerendam maximi sit momenti, arcana, in quibus salus populi

puli vertitur, & immatura adhuc consilia, ex incerto rerum circumstantium eventu nutantia, quæ intempestive in quoslibet exonerata destinatis ad optatum exitum perducendis viam præcluderent, velut sacra Eleusinia, a communi luce interim secludi; ejusmodi veritatum publicatio non illicita modo est, verum etiam in eos, quorum opera facta fuerit, civiliter animadvertisendi justissimam adfert causam (q). Denique in rebus privatis aliquam multa inveniuntur, quæ, licet veritati consentanea sint, tamen materiam scriptioni evulgandæ convenientem & concessam, ut quæ vel ab æquitatis & communis securitatis lege, vel a dignitate hominis & reverentia publici, cuius maxima habenda est ratio, remota sunt, non præbeant. Ut enim tum turpia & flagitiosa, de quibus paullo post dicetur, tum frivola, vel intus solum digna geri, quæ in scenam non promenda esse recte monet *Horatius* (r), tramittamus; in hoc genere versantur, quæ ad menda & vitia hominum occulta, absque cautionis in posterum vel damni relarsiendi titulo, revelanda, eosque præter veniam magistratus in odium vel opprobrium adducendos pertinuerint. Nam frænum pudoris, quo ceteroquin, si a religione discesseris, nihil efficacius est ad homines intra terminos honestatis continendos, invalidum est retinaculum scientis se famam perdere amplius non posse; & quæ est inhumanitas, vulnus, cui secreta cura medicinam facere potuisses, infamiae publicæ viro exacerbatum, insanabile reddere? Præterea jus civitatis fert, bonis suis, inter quæ sane existimatio haud extremum occupat locum, invitum privari non posse, nisi auctoritate principis, cui potestas puniendi competit. Unde etiam Legibus Romanis (s) à poena non eximitur, qui ignominia etsi facto, quod probari potest, vere debita, at sententiam judicis legitimi prævertente edito scripto ali-

aliquem adsperserit. Et quamvis per sanctiones civiles vetitum non sit, veritatem alterius honori noxiā quoquomodo efferre; vetant tamen suarū cuique labium conscientia & caritas, quam in alios nobis ingeneravit natura, commendavit quoque revelatio, ne ad famam alicujus elevendam citra graves rationes hoc permisſu utamur. Quousque, præterquam in casibus modo commemoratis, ad Oratorum, Poëtarum aliorumque Scriptorum partes pertineat veritatem velo subiecere vel profus immutare, quoniam hæc præcepta ad societatem civilem, ad quam Reipublicæ litterariæ relationem heic considerare instituimus, non nisi e longinquo spectant, in parte sequente locus erit disquirendi commodior.

(g) *Romulum auspiciis, Numam constitutis sacris fundamenta jecisse Romane Civitatis*, ait CICERO de Nat. Deor. L. II. Gravia sunt quæ hanc in rem disputat POLYBIUS L. VI. N. 54.

(b) Erroris alicujus in Religione fovendi ratio perperam exinde arcesseretur, quod Apostoli promissiones sedium eximiarum duodecim, instar Phylarcharum apud Judæos, & vini novi potationis in Patris regno, quas illis dedit Christus, Ipsomet non ignorante, de regno aliquo terrestri accepisse videantur; vel quod Paulus, post abolitum licet Circumcisionis præceptum, Timotheum tamen circumcidet. Cum enim hæc sine gravissimis causis, ex singulari Dei beneplacito & circumstantiis temporum hominumque in ecclesia plantanda derivandis, non accidisse cenlenda sint; nostrum est evidentiam præceptorum Divinorum, qua doctrinas a verbo Dei dissuntas constanter evitare monemur, pie sequi.

(i).

(i). Hi Spartæ olim furandi dexteritatem laudassent, Algeriæ hodie studium piraticæ commendarent. *Le grand talent d'un Ecrivain chez les peuples arrivés à ce declin des moeurs, qu' on appelle l'exquise politesse, est moins de dire la vérité que ce qui plaît aux hommes puissans,* ait du SAULX in *Præf. Gall. Vers. Satyrar. Juvenalis.*

(l). Tales an reapse dentur, nec satis scio, nec si scio, dicere ausim. Quicquid autem hujus est, sufficiat fieri posse, ut persuasum habeant aliqui, se esse in casu quæstionis. Erat e. g. Epicurus, cuius Philosophiam, et si verissima esset, illudque præcipue, quod negat versari in rep. esse sapientis minime in vulgus propalari debere, judicat CICERO L. III. de Orat.

(m) Auctor paradoxophilus Tractatus des Droits du Génie p. 149 seqq. errores utiles rejicit propter duas, quas expendere juvat, causas. Una est, quod, cum Civitas sit ens morale, stabilis esse nequeat, nisi firmatis hominum opinionibus, quæ si falsæ fuerint, sperari non potest fore, ut tempus ferant. At non omnes opiniones in fundamentum reip. ingrediuntur, & quæ, malum, est ratio eo nomine bonum aliquod repudiandi, quod proprium nobis & perenne' non sit? Alterius causæ loco contendit, quum veritas una sit & indivisibilis, quæ nisi multitudine rerum, ad quas applicatur, multiplex non evadat, concessa eam aliquoties esse suscipiendam; impediri amplius non posse, quin ubique, qualicumque fuerit, proferatur. Ponamus unam solum esse veritatem, quod de Deo, omnium rerum nemum planissime pervidente, non vero de creaturis intelligentia finita circumscriptis verum est; quoniam tamen publicatio applicationis ejusdem ad res quas-

quasdam factæ libera est, utique potest, &, ubi civitati noxia fuerit, debet impediri.

- (n). LEIBNITIUS in *Præf. Codic. Jur. Gent. Diplomat.*
- (o). Cfr. J. D. MICHAELIS *Einl. in die Göttl. Schrift. des Neuen Bundes T. I. p. 124 seqq.*
- (p). Quod faciendum sibi putavit Nob. D. SCHÖNBERG in *Allm. Uppoftr. Verket p. 78.*
- (q). Cfr. *Editt. Reg. dat. d. 9. Dec. 1696 & Cancell. Ordin. Ai. 1720. §. 2. n. 8. & §. 41.*
- (r). In *Arte Poët. v. 182 & 183.*
- (s). Vid. van LEUVEN in *Cens. forens. p. 778 & LUDOVICI Doctr. Pandett. p. 702.*

### §. VIII.

Ceterum Veritatis jura, cum majori utilitate humana conspirantia, ut sèpius usù venit, omnibus antiquiora esse debent respectibus. Præcipue cum apprime in vita salutiterum sit, quemadmodum virtuti ex laude calcar, ita vitiis ex infamia frænum objici; ut litteratis, quibus nominis perennatur decus vel dedecus præstare solis datum est, integrum relinquatur memoriam hominum, & inprimis principum (*t*), etiam maiorum, ex vero repræsentatam ad posteros transmittere; ad securitatem publicam tanto pluris interest, quanto certius habemus deplorandum, leges & religionem, ut ut verissimam, parum valere posse ad eorum libidinem coercendam, qui illas eludere norunt, hanc aspernantur. Ne autem veritates invisas dicendo, vel utiles silendo, fortunæ fideive naufragium facere & caritatis vel obsequii socialis leges migrare necessum habeant; officium suum suamque securitatem inter se conciliandi

H

eam

eam, si quid judicamus, optime inibunt rationem, ut ad Historias scribendas illum temporis cardinem possimum conferant, quo & proprius res sunt, quam ut earum cognitio obscura sit & vetustate obliterata, & ab iis remotiores, quam ut ab iisdem ingenue expromendis ulla periculi vel peccati religione possint deterri. Unde patet mortuos, maximeque hoc nomine odio ac gratiae exemptos, jurisdictioni Historicorum præcipue subesse (*u*). Nec tamen nominatim vivos homines reprehendendi potestas numquam in eos potest cadere. Sed heic mensura libertatis, qua fruuntur, modo translationis tacitæ vel expressæ, quo in partem juris sui existimationem pravorum civium minuendi eos admiserunt principes, continetur. Hoc etiam magis in concessis habendum, vitia ac ineptias perstringere, personis, quibus adhaerent, non notatis, eaque, pro re nata, vel armis feriæ veritatis debellare, vel salibus ridiculi, experientia & *Horatio* (*x*) testibus, saepè fortius ac melius acri & severa præceptione corruptelas morum depascentis, perspersa, deridenda propinare. Quod posterius dicendi genus cum Satyricum & Comicum appellari solet, cur Satyras & Comoedias conscribere & publicare illicitum sit, per se non esse patet. Præterea ut harum scriptor & gravis morum exactior, quatenus animorum morbis, ac præsertim peccatis, quæ legum civilium correctionem non patiuntur, medicinam facere & honesti atque decori modum proponere & commendare utriusque sit, in unum, eumque laudabilem, spectant exitum, ita quamdiu ab hoc scopo deflexerit neuter, neu id egerit, ut famam alicujus sauciet, aut improbitati & vitiis pabulum subministret, iniquum sane foret & absolum, propter methodorum, pro re nata juxta probabilitum, quibus utuntur, discrimin, unum laude, alterum censura afficere. Qui vero morum men-  
da

da exagitasse haud contentus, in ipsos quoque, quibus intunt, homines mucronem acuit Satyricum, & quorum vitae instituta ac consuetudines, quamlibet merito infectatur, eorum quoque nomina in orchestrā profert, vel singularium notarum insignibus demonstrat personas; nisi quod in iis, qui longiori temporum locorumve intervallo a nobis distinentur, hanc veniam plerumque dare soleant mores, illius quidem.

*In vitium libertas excidit & vim  
Dignam lege regi.*

Quām igitur extra vituperium, immo cum laude sunt Satyræ, erroribus & vitiis non hominibus infestæ, tam abhorrendi sunt, qui contraria se habent ratione, Libelli famosi (y), vetus scriptorum genus (z), novo nomine Pasquilli dicti. Neque dubium est, quin horum Auctores gravem mereantur poenam, quam tamen, in iis præsertim, quæ se magis quam rempublicam tetigerint, sæpius condonare & petulantium hominum voculas generoso contemtu obterere a prudentia principis non erit alienum (a).

(t). Regem, ejusque sive vivi sive mortui facta vituperare licitum esse nemini, Lex fuit paullo post summam potestatem CAROLO XI. concessam ab Ordinibus Regni Sveciæ lata (v. *Decret. Comitiale A. 1683. § 3.*), eaque etiam testimonio esse potest, homines in utramque partem limitum esse nescios.

(u). *De Mortuis nihil nisi bene*, lex erat Solonis, cui rectius passim obrogant, quam absolutas tribuunt laudes PLUTARCHUS in *Vita Solonis* & Auctores Historiæ Univ. Angl. T. IV. p. 385. Adeone fer-

vire oportebit veritatem, ut non vivorum potentiae solum, sed & defunctorum nominibus & umbris necessum habeat cedere? Quorsum sic utilitas Historiae a veritate inseparabilis?

(x). *Satyrar. L. I. S. 10. v. 14. sq.*

(y). De limitibus Satyræ & Libelli famosi mirum quantum inter se discordant Viri docti. Multi, differentiam eorum prætereuntes, utraque scriptionis genera communiter in crimen vocant, ut BUDDEUS in *Theol. Mor. P. III. C. III. S. IV. §. 21.* & *P. I. C. I. S. VI. §. 22.* Verum & ille omnes qui consulo risum movent e rep. exterminandos esse censet, præeunte Clemente Alexandrino, v. I. c. *P. I. C. I. S. VI. §. 20.* Alii Scriptoribus Satyricis jus adjudicant, si jus dici debet licentia, nominatim homines redarguendi, ut BOILEAU in *Disc. de Sat. POPE T. VIII Oper. p. 241 seqq.* Veritatem chartas probrosas efficere posse, sunt qui ajant, sunt qui negent. Vide Auctores modo laudatos ad not. (s) l. c Qui utriusque positionis partibus ex instituto satisfecimus, non opus est, ut hujus hos heic controversiæ examine distringamus, alioquin etjam ad forum spectantis civile: cuius itidem est statuere, an scriptum, cui nomen suum apposuerit Auctor, possit esse famolum, quod affirmat STRUVIUS in *Verfass. der Landübl. Recht. p. 656,* negat vero cum aliis CARPOZOVIVS in *Praet. rer. crim. P. II. Qu. 98. n. 24. seqq;* quem itidem vide, si tua interest, differenter l. c. n. 54. de questione, super qua etjam in diversa abierte JCTI, utrum Libelli famosi reus censendus sit, qui membra virilia, vel vulvas muliebres alicujus domui appinxerit.

(z). A Græcis & Romanis olim frequentata, nec apud priscos

priscos Septentrionis nostri incolas inusitata fuere carmina famosa. Islandi legem tulerant, qua) in Haraldum Gormi filium, Daniæ Regem, pro quo-vis nato, vel homine in terris eorum existente, contumeliosæ componerentur cantiones; quod, facto Islandicæ navis ad oram Daniæ naufragio, merces ejus Dani diripuissent. Vid. *Heims Kringla T. I.* p. 241. Erat & priscis Scaldis carminis genus, quod *Bersoglium* (*Bersóglis-Visor*) appellabatur, quo aliquem vitiorum suorum & discriminum ex hoc capite in ipsum redundantium libere & amice admonebant. Eiusmodi carminibus *Sigvaturus* Poëta Magnum Olavi filium, Regem Norvegiæ, castigavit, quibus ille commotus vitia sua correxit, tantumque civium amorem exinde sibi conciliavit, ut cognomentum Boni ipsi impositum sit. v. l. c. *T. II.* p. 21. *seqq.*

(a). Quam optimi quique & prudentissimi principes malevolorum jacta in se opprobria adspersati sint & ultione sua inferiora judicaverint, passim in Historiis videre licet. *Soleo*, inquit MACROBIUS *Saturn. 4. in Augusto magis mirari quos pertulit iocos, quam quos ipse protulit, quia major est patientiae quam facundie laus*. Cfr. SVETONIUS in *Aug. c. 55*. Quæ consuetudo famosas scriptiones vocesque infra majestatis suæ fiduciam ponendi, maximorum Imperatorum exemplis confirmata, per Constitutionem Theodosii Magni, Codici Justinianeo postmodum insertam, & dictitantem, *Si quis principi maledixerit ex levitate, contemendum esse; si ex insanitia, miseratione dignum; si ab injuria, remittendum esse* (v. *Cod. cit. L. IX. Tit. VII*), legis auctoritatem fortita est. Neque pronum est dicere

gloriosiorne sit, an sapientior hæc magnanimitas principis, superiorem se esse frivolis maledictis significantis; indicat enim experientia, convicia spreta brevi ut plurimum exolescere, quæ quo molestius feruntur, quo severius expenduntur, hæc magis celebrari & increscere solent, veritate dolorem dedisse visa. Cfr. TACITI *Annal.* IV. 34 & 35. Exemplo sunt Cardinales Richelius & Mazarinus, ex quibus, quod ille nullis animadversionum generibus, hic callida contemtus simulatione consecutus est, ut Scriptorum in se dicacitatem qua si steret, qua auctoritate privaret. Vid. *Hist du Regne de Louis XIV. par de L'IMIERS* T. II. P. II. p. 355. Pari ratione Cromwellius non modo civili animo libellos contra se editos tulit, sed & Auctores eorum beneficiis sibi devinxit, ut commemorat LETUS in *Vita ejus* T. II. p. 318 & 319.

### §. IX.

Ad causam nostram communiendam & majorem lucem ei foenerandam necesse subinde est errores oppositos confutare. Nam utut graves fuerint rationes secundum thesin aliquam allatae, si pro antithesi æque via militarent argumenta, judicium de controversæ propositionis veritate vel falsitate suspendendum utique es-  
set. At si ab una parte probationes solidæ sunt & ponderosæ, ab altera objectiones leves & ferculneæ, harum imbecillitatem illarum robur intendere, saltē manifestius reddere oportebit. Licitum igitur erit adversario-  
rum veritatis doctrinas cum rationibus, quibus easdem superstruunt, exponere. Hoc quidem concederint faci-  
le omnes; an autem has doctrinas & rationes semper  
cau-

candide & sine distortione percensere conveniat, de eo vero non æqua omnium sunt judicia. Putabat dudum *Chrysippus* (*b*), debere Philosophos, ad exemplar Caudicorum, viliora tantum adversæ partis argumenta integra exhibere, sed quæ animis lectorum auditorumve scrupulum poterant injicere occultare, vel decollata protrahere; quam opinionem etiamnum multi, si non di-ctis, ipso tamen opere confirmant. Sunt qui hoc præceptum ita limitent, id ut intra fori Theologici cancellos solum admittant, existimantes pietatis esse hæreticos quam nigerrimos rerumque imperitissimos repræsentare, quo tanto odiosiores contemptioresque, tanto etiam minus idonei ad alios pervertendos reddantur. Fatemur non dissimulandum esse malum erroris, quin potius vividis coloribus ante oculos ponendum, quo ab eo caverre sibi discat pars senior, & alterius quotquot rationibus plus quam opinionibus tribuerint ad frugem bonam redeant; at enim non soluti sumus obligatione lædendi neminem, etiamsi vel Jovem lapidem credit. Contra, uti divine a Christo traditum est, quæ nobis ab aliis fieri volumus, eadem & illis præstare ne detrectemus. Proinde in doctrinis & rationibus adversariorum exponendis abstinentendum quidem est ab exaggerationibus, quæ offendiculo esse, & repetitionibus eorum, quæ sine irreverentia in Deum vel Principem vix adduci possent; nihil tamen temere & ultra quam permittit veritas illis detrahendum esse, vel odio in sensum sinistrum deflectendum, non solum justitia a nobis postulat, verum etiam prudentia. Nam præterquam quod facienda non sunt mala, ut inde eveniant bona, nec finis actionem materialiter turpem honestam reddit; verendum est, ne qui in rem introspexerint, a deprehensione fidei nostræ deliquio de causâ, quam defendimus, ratione æstiment, atque sic ad errorem, quem majo-

majori zelo quam judicio confutatum ivimus, perduntur alii, alii in eodem confirmantur. Ceterum paulo excusabilius est hoc vitium, quam eorum, qui, dum bonam causam agere videri volunt, post hæc carecta latitantes, objectiones quam possunt speciosissimas usque quaque aucupantur, quibus vel nullas, vel debiles & admodum imperfectas addunt responsiones. Solet hæc esse consuetudo eorum, qui, quas aperto Marte oppugnare non sustinent, veritates cuniculis subruere student. Nec est quod materiæ difficultatem obtendat aliquis, culpam, qua carere poterat, deprecatus; neque enim a tonorum difficultate veniam meretur cantor, sponte sua aures hominum stridulæ vocis istibus obtundens. Dispar ratio est eorum, qui argumenta imbecillia & absurdæ, quæ ipsam veritatem in contemptum & ludibrium dare possent, licet communi semidoctorum usu comprobata, rejiciunt. Hi enim, præsertim si in rejectorum locum aptiora substituunt, vel imperfecta suppleunt, adeo culpandi non sunt, ut optime potius de veritate meriti sint censendi.

(b). V. BAEI<sup>II</sup> *Lex. Hist. Crit.* sub voc. *Chrysippus*,  
not. (g).

### §. X.

Extra ea, quæ licent, scripta etiam morum puritati quovis modo noxia, utpote veræ Religioni & Societati humanæ pariter repugnantia, ponenda sunt. Sunt hæc ea, quorum auctores, nequitiae vel propriæ indulgenti, vel alienæ blandiendi gratia, vitia virtutibus confundunt, hasque ut absonas & ridiculas repræsentant,  
illa

illa speciosis adornant nominibus, vel ita cerasa miniove incrustant, ut nigror eorum naturalis, nisi perspicacioribus, sub oculos minus cadat. Huc spectant obscenitates & verborum & doctrinarum, in quibus quanto majorem quis ostenderit sagacitatem, tanto dignior est qui ab omnibus, in quibus naturalem pudoris ac verecundia sensum non oblitteravit prava consuetudo, contemnatur. Vix autem alibi se licentia pluribus argumentorum simulacris & a suffragiorum omnibus ævi multitudine confidentius tueri solet, quam hac in parte. Quosdam ad auctoritatem sacri Codicis, impudicitiae exempla quoque continentis, provocare haud pudet (*r*). Nonnulli ad Cynicorum & Stoicorum opinionem, quæ re foeda haud sunt nominibus flagitiosa esse negantium, confugiunt (*d*). Verum honeste & caute turpitudines indices, ut in facris sit litteris, an easdem petulanter verbisque praetextatis expromas, vel jocando demulceas, nimium quantum intereat illud vitio caret, & nimis sape necesse est, hoc nefarium est, sive prose fiat, sive ligate. Sane & ex diversis loquendi formulis, quibus res quædam, nullius licet per se turpitudinis compotes, exprimi possunt, unæ impurarum cogitationum semina in animos dispergunt, & pubis, ad vitia flecti cereæ, pudorem, quasi custodem conservandæ virtutis vitaque integratæ a natura datum, frangunt; aliæ honestæ curiositatæ sufficientem rerum notitiam absque scandalo modestiæ exhibit. Postulat igitur ratio, ut illas declinemus, his utamur. Plurimi (*e*) se aliorum exemplis purgare student. Sed male præentes male aliquis sequatur. Sunt tamen in hoc genere multa, ut ut hirsuta, quorum mores & gustus hominum corrupti gratiam facere soleant, quam vero iniisse nemo cupiet, cui incoctum est honesto pectus; quædam forte, liberiora quidem illa, sed cum

cum ingenium solum morentur; nec in cor penetrant, aut voluntatem inflectant, quoniam in iis non res sed dictionis acumen lectorem afficit, ut pudicitiae & honestati nihil fraudis & periculi adferunt, ita mitioris capacia censuræ. Idem dici non potest de scriptis hujus commatis, in quibus ipsa res, licet gratia & festivitate orationis destituta, mentem detinet, ut in Fabulis Romanensibus plerumque usu solet venire.

(c). Ex gr. Phil. BEROALDUS in *Orat. habita in principio enarrationis Propertii*, Leon. ARETINUS de *Studiis & Litteris c. VIII.* & Corn. AGRIPPA de *Vanit. Scient. c. LXIV*: quibus calculum suum adjectit Auctor *Dissert. de Latinit. e Scholis Christ. non exterminanda, habita Ups. A. 1762. § VI.*

(d). Vid. CICERO de Off. L. I. c. 35. Ejusdemque Epist. ad Fam. L. IX. ep. 22.

(e). Ut MARTIALIS in *Præf. Lib. I.* OVIDIUS L. II. Trist. PLINIUS L. V. ep. 3. & L. IV. ep. 14. J. B. ROUSSEAU in *Præf. T. I. Opp. diversor.*